

juxta quosdam fuit numerus militum 6666. En admirandam Diabolorum in uno homine copiam! Dubium tamen nonnulli movent, quâ ratione possit fieri, ut, cum anima dicatur esse in toto corpore, & tota in quâlibet parte corporis, Dæmones nihilominus etiam in corpore habitent, eos enim non posse consistere in eodem loco cum animâ, nec operationes eorum stare cum operationibus animarum absq; quâdam confusione. Sed respondet ad hæc *Poëtius*: nihil tale merendum esse, cum facultas vegetativa & sensitiva & rationalis operentur localiter in uno cerebro, nec tamen operationes illæ confundantur. Nos de modo prolixius jam non erimus solliciti, cum sufficiat nobis ostendisse *voëtii*, seu, quod revera Diabolus hominum corpora ingredi & humanis membris abuti adeò frivole possit. Modi autem expositionem aliis relinquemus. Negandum de cætero non est, quod probe attendi debeant omnes Circumstantiæ, antequam quicquam certi de obsessione Diabolicâ definiatur, cum sæpius venditetur aliquid pro eâ, quod tamen ad epilepticum vel alium hujus generis morbum longè rectius reduci poterat. Ista autem signa, quæ eandem indicare soleant, recenset *Baldwinus l. c.* ex quo ea desumpsit & auxit *Poëtius p. 1031*. Interea cui hæc à nobis hæctenus dicta minus satisfaciunt, is evolvet integrum Tractatum *Job. Georgii Dorſchei de Obsessione Diabolicâ*, ubi latiùs hæc materia deducta & variis, quæ ad eam spectant, doctrinis illustrata est; nec non *Baldwinum in Casibus Conscient.* loco allegato, & aliquoties citatum *Poëtium* in duabus Disputationibus de *Energumenis*, quæ extant *Tom. I. Disp. ejus Academic.*

P O R I S M A V I I.

Diabolis adhuc potestas relicta est, ut humanum corpus ex permissione Dei variis morbis possint affligere.

C *Asparus Finckius Canone XXXV. Cent. IV.* varios affert modos,